

in medio Ecclesiæ aperias os meum et adimpleas me spiritu sapientiæ et intellectus et stola gloriæ vestias me.

Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, ut sciam te, et inveniam gratiam ante oculos tuos: respice populum tuum, gentem hanc. Nunc igitur consurge Domine, in requiem tuam, tu et arca fortitudinis tuæ: sacerdotes tui, Domine, induantur salutem et sancti tui lætentur in bonis. Domine Deus, ne avertas faciem Christi tui; ponas tabernaculum tuum in medio nostri, ambules inter nos et sis Deus noster, nosque simus populus tuus. Aperiam os meum et comedam; ingrediar in petram et abscondar in fossa humo a facie timoris tui et a gloria majestatis tuæ. Adhuc enim aliquantulum, qui venturus es venies et non tardabis.

POST MISSAM

I. — Adoratio.

Abscondas me in tabernaculo tuo; posuisti me, Domine, in monte sancto tuo, in medio lapidum ignitorum ambulavi: comedi hostiam pro peccato in loco sancto, quæ *sancta sanctorum* est et data nobis ut portemus iniquitatem multitudinis et rogemus pro ea in conspectu tuo.

Vere Domine est in loco isto et ego nesciebam. Deus æmulator, Domine Deus in medio mei, tu qui sedes in solio tuo et omnis exercitus cœli assistens tibi. Scio quia templum tuum sumus et spiritus tuus habitat in nobis; templum tuum sanctum est quod sumus nos.

Domine in templo sancto tuo: sileat a facie tua omnis terra; adhuc manducem, obsecro, cum silentio operans, panem meum.

Sileat omnis vox a facie tua; quia justa est dies tua quia præparasti, Domine, hostiam, sanctificasti vocatos tuos.

II. — Gratiarum actio.

Parum nobis non est quod separasti nos Deus ab omni populo et junxisti tibi ut serviamus tibi in cultu tabernaculi et stemus coram frequentia populi et ministremus tui. Pro salute nostra misit te Pater, Domine Jesu, præ-